

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Auff Ihrer Königl. Majest. zu Dennemarck Norwegen,
e[t]c. e[t]c. Allergnädigsten Specialen Befehl, Revidirte
Oldenburgische Stadt-Schul Ordnung**

Adler, Jacob Nicolaus

Oldeoburg, 1703

VD18 13393405

III. Symphonicorum sive sic dictorum Choralistarum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17761

Nedum in scio eo & citra Rectoris Parentumque voluntatem hospitium mutanto aut relinquunt.

§. X. Ad vitæ licentiam, hospitem facilitate nequaquam abutuntur, tenuiorem forte victus rationem minime traducunt, satis sibi habentes dum modo sanos esse & vacare literarum studiis liceat.

III. Symphonicorum five sic dictorum Choralistarum.

§. I.

Nemo sine Rectoris jussu & Cantoris consensu, qui tamen Rectoris consensui utique, ut semper, ita etiam hic subordinatus esto, in cœtum Symphonicum recipitor, multo minus aliquis Præfecti munus his in scis in se suscipito & sustineto.

§. II. Recipiendus Rectori suos in literis & Cantori in re musica progressus probato, ad certum, quod præfinitur tempus se mansurum promittito, arma etiam sua, si extraneus sit, & testimonia apud Rectorem deponito.

§. III. Receptus cum leges Lycei nostri generales cum speciales accurate observato; Musicam dextre excolito, sive vocalem sive instrumentalem; secus qui fecerit, qua facilitate receptus, eadem rursus Choro excluditor.

§. IV.



§. V. Si citra veniam usquam profectus fuerit, aut sine necessaria probatave causa templo scholave, cum canitur, abfuerit, dimissus justo tempore non redierit, quadrante portionis suæ, quotiescunque in choro inter canendum desiderabitur aut serius arrepet, mulctator.

§. VI. In cauponis & tabernis publicis neque potandi gratia, neque sub alio quovis prætextu conveniunt Symphoniaci nostri. Incautæ potius juventutis laqueos & quævis malorum incitamenta sanguine viperino pejus fugiunt.

§. VII. In choro Symphoniaco petulans, vel ex officiantia inter canendum errans, aliosque turbans, multam solvito.

§. VIII. In plateis decenter quisque se gerito ordine cum reliquis ingreditur; Stationem suam exacte observato, nec hinc inde cursitato, aut plane abscedito; Quid canendum, attendito; Prætereuntes personas honestas capite nudato venerator; à cachinnis, risibus & rixis abstineto; Nemo quid quocunque modo contra decorum peccato, secus qui fecerit, multator.

§. IX. Peracto canendi exercitio pyxideque apud Rectorem deposita, statim quilibet domum petito, nequaquam in taberna cerevisiaria, ut fieri solet, guttur prius proluito.

§. X. Ex pecunia in Choro collecta, non nisi quantum necessitas jubet, exposcunto, inque bonos usus collocanto.

G

X. Præ-



§. XI. Præfectus legum harum observantiam strenue urgeto, industria & promptitudine præito, negligentes atque contumaces indicato, cationes non nisi graves & pias canito. Novas etiam libris inscribi curato, delinquentes multabuntur.

§. XII. Præfecto vel etiam Sub-Præfecto reliqui omnes debitam obedientiam præstanto, secus qui fecerit, pro ratione circumstantiarum & Rectoris arbitrio multabitur.

§. XIII. Interim Præfectus hujusve Vicarius, ea qua par est, diligentia curato, ne concessa sibi potestate abutatur, inferiores colaphis aliisque indignis modis in via publica tractet, secus privilegium turpitudinis committendo, suum amittet privilegium.

Clausula.

§. I.

QUandoquidem vero non sufficit Leges promulgari, nisi obedientes præmiis honorentur: Inobedientes, contumaces & refractarii pœnis coercantur; Nobilissimi & Amplissimi Consistorii Regii adversus omnem inobedientiam promptissima animadversionis voluntas, gravissimaque auctoritas, Præceptoribus præsidio erit.

§. II. Ne vero aliqua ignorantia excusatio subesse possit, leges hæ, superioribus, mediis & infimis hujus
Scholæ

